







DISSERTATIO JURIS GENT. PUBLICI

De

**DOMINIO SEU IMPERIO ORBIS,**

*Ad l. 9. ff. de Leg. Rhod.*

Quam

**FAVENTE DIVINO NUMINE**

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO**

*AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO.*

**DN. FRID. WILHELMO,**

REGNI BORUSSÆ AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI  
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

**DN. HENRICO à COCCEJO.**

AUGUST. AC POTENTISS. BORUSSÆ REGIS

CONSILIARIO INTIMO,

FACULT. JURID. ORDINARIO, ET IN HAC ALMA VIADRINA

ANTECESSORE PRIMARIO,

*Ad Diem IV. Novembr. Anno MDCCXI.*

IN AUDITORIO JURIDICO

Discutiendam proponit

**PERILLUSTR. DN:**

**FRAN: ANT: E. H. von SCHALLNHEIMB,**

Auftriacus Viennensis.

\*\*\*\*\*o\*\*\*\*\*

*Francofurti ad Viadrum. Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*







GLORIOSISSIMO, POTENTISSIMO,  
INVICTISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
CAROLO VI.  
ROMANORUM REGI-  
SEMPER AUGUSTO,

GERMANIÆ, CASTILIÆ, LEGIONIS, ARRAGONIÆ,  
UTRIUSQUE SICILIÆ, HIEROSOLYMÆ, HUNGARIÆ, BO-  
HEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ, NAVAR-  
RÆ, GRANADÆ, TOLETI, VALENTIÆ, GALLICIÆ,  
MAJORCÆ, SEVILIÆ, SARDINIÆ, CORDUBÆ, CORSICÆ,  
MURSIÆ, GIENNIS, ALGEZIRÆ, GIBALTARIS, IN-  
SULARUM CANARIÆ, INDIARUM, INSULARUM  
ET TERRÆ FIRMÆ OCEANI &c.

REGI,  
ARCHI-DUCI  
AUSTRIÆ,



**DUCI**  
BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STIRIÆ, CARIN-  
THIÆ, CARNIOLI, LUZENBURGI, WURTEM-  
BERGIÆ, SILESARUM,

**PRINCIPI**

SVEVIÆ,

**MARCHIONI**

S. IMPERII, BURGOVIÆ IN MORAVIA;  
UTRIUSQUE LUSATIÆ,

**COMITI**

HABSBURGI, FLANDRIÆ, TIROLIS, PFIR-  
THIÆ, LIMBURGI, GORIZIÆ, BARCELONÆ,

**LANDGRAVII**

ALSATIÆ,

**DOMINO**

MARCHIÆ VINDELICORUM, PORTUS NAONIS,  
BISCAJÆ, MECHLINIÆ &c.

*PIO, FELICI, VICTORIOSO,*

*REGI AUGUSTO, PRINCIPI AC DOMINO SUO PERCLEMENTISSIMO.*

**SACRUM.**



GLORIOSISSIME, POTENTISSIME,  
ET INVICTISSIME  
PRINCEPS,  
ROMANORUM REX  
SEMPER AUGUSTE,  
DOMINE PERCLEMENTISSIME.



*In* nihil vererer, quàm ne  
*Argumentum* hoc impar  
*sit* Magnitudini Imperi-  
ali, *intelligerem*, non tam  
*mibi excusandam esse huius Disserta-*  
*tiuncula* SACRATISSIMO NOMINI TUO  
*dedi-*



dedicanda fiduciam, quàm caven-  
dam neglecti Officii irreverentiam.  
Cùm enim de Sacrosancto illo, qui in  
Orbe Christiano maximè celebratur,  
Imperatorum Principatu agitur, TUA  
Unius ea res est; cùm de ejus sensu,  
TUUM Unius judicium. Cui igitur  
ego, qui Juris & Æqui studium præ  
me fero ac profiteor, id tribuam quàm  
cujus est? Sed alia sunt, quæ me non  
sollicitum & suspensum, sed anxium &  
trepidũ adhuc habent, dum ad TANTÆ  
MAJESTATIS pedes, ad SOLEM hujus Or-  
bis procumbo, mea, inquam, & disser-  
tatiuncula Academicæ exilitas. Nam  
& mihi oculi caligant ad divinos PUR-  
PURÆ



PURÆ CÆSARÆ radios; & illi metuo,  
ne non minis suæ tenuitatis con-  
scientiâ & pudore, quàm ab Augusti  
Muricis ostro erubescere ipsi, quin Pha-  
etontæ temeritatis exemplo, tanti Si-  
deris viciniâ conflagrare necessum sit:  
equidem cum occurrit, quod Hermo-  
laus Barbarus, Aquilejensis dein-  
ceps Patriarcha, Vir summus, & Ve-  
netorū Orator ad Divos FRIDERICUM  
III. ET MAXIMILIANUM I. AVOS TUOS,  
gratulatum missus, publicè profiteba-  
tur; Nihil esse IN REBUS HUMANIS  
PRINCIPE ROMANO majus & augustius.  
Verùm ignosce, GLORIOSISSIME AUGU-  
STE, si me tantæ Majestatis conspectu  
non



non tam terreri ac labefactari, quàm  
erigi & firmari mihi videar, cum ex  
adverso in mentem venit, Deos exi-  
gui Thuris suffitu, & vilissimarum re-  
rum oblationibus placari, nec un-  
quam muneris oblatis precium, sed u-  
nicè pietatem offerentis respicere.  
Quæ verò Majestas propiùs ad Divi-  
nam accedit, quàm Principis Roma-  
ni? Quæ magis clementia, quàm CA-  
ROLORUM? Inter CAROLUM PRIMUM  
& QUINTUM immensi ævi interval-  
lum, plures etiam casuum & fortu-  
næ Imperialis vices; at par utriusque  
Principatùs magnitudo fuit, Quinti  
etiam amplior ac latior. Ita quos  
tam



tam vasta seculorum distantia divisit,  
paritas Majestatis conjunxit: & quam  
ALTER intulit Orbi magnitudinem  
Imperii, ALTER restituit. Inter  
Hunc verò, & TE, REGUM MAXIME,  
inter CAROLOS, inquam, QUINTUM  
ET SEXTUM, quid præter temporis in-  
tercapedinem interest? QUINTUS po-  
tentiâ par MAGNO fuit, TU QUINTO  
geminus. UTERQUE ab Hispania-  
rum Regnis florente ætate evocati, non  
REGNA, sed ORBES in Imperii unita-  
tem consociâstis. Enimverò, si jure,  
non vimetienda res est; si suus consta-  
bit Masculo sanguini honos; sua Na-  
turae, virilem omnino sexum præfe-  
rentis



rentis, reverentia; sua Pactis san-  
ctissimis fides; sua denique consensui  
Gentium ratio ac autoritas, Tuum  
Imperium est, quod QUINTI fuit: &  
adeò ævum ævo respondet, ut nunc  
non tam CAROLUM SEXTUM, quàm al-  
terum QUINTUM terris natum videri  
dicendum sit. Neque verò de fundo,  
de supellectile, de pecunia propria, de re  
domestica, quæ in arbitrio defuncti  
fuit, & quam adeò jactare testando  
Gentium legibus permissum est, agi-  
tur, sed de Imperiis solius DEI vices  
referentibus; de Jure, quod à MAJORI-  
BUS ortum, in masculino sanguine in-  
veteravit, quæsitumque ei justo Na-  
turae ordine fuit.

Hæc



*Hæc ea prælustris causa est, quâ  
defendendâ hactenus exercitata jam  
armis bellisque Potentissimi Hostis  
fuit hæc ÆTAS TUA, tam rerum tan-  
tarum matura, quam immatura an-  
norum. Ita dum in maximarum re-  
rum cursu es, dum rem publicam dif-  
ficillimo tempore capessis, faciam id  
quod in oblationibus Deorû fieri con-  
suevit, ut vota calidissima humillimis  
studiis MAJESTATI TUÆ nuncupem;  
quorum ut summam compendio com-  
plectar, DEUM AUTOREM ac STATO-  
REM hujus, quod suscipis, IMPERII, pu-  
blica vice comprecor atque obtestor,  
ut in hoc Sacratissimum Caput TUUM  
cumu-*



*cumulet AUGUSTI, cum appellatione,  
fortunam, Trajani triumphos, & duo-  
rum, quos dixi, Carolorum, in quorū  
cūm locum, dignitatem, ac Imperia,  
tum virtutes ac nomen ipsum successi-  
sti, felicitatem. Patere igitur, SUM-  
ME REGUM, ut hujus thusculi AUGU-  
STO nomini TUO erectæ*

*- - adolescent ignibus Aræ.*

*Quod, etsi in infinitum subsidere in-  
fra fastigium MAJESTATIS TUÆ sen-  
tio, at tantò majus erit DIVINÆ  
CLEMENTIÆ TUÆ argumentum quan-  
to inferius est Majestate; si, quod Diis  
solenne est, id non suo pondere, sed  
pietate supplicis æstimes ac pensites.  
Hu-*




*Hujus fiducia obsequiosissimæ plenus  
ad PEDES TUOS provolutus, hoc quic-  
quid est munusculi, atque unâ Me to-  
tum TUÆ MAJESTATI devoveo, offero,  
ac consecro.*

**SACRÆ ET AUGUSTÆ  
MAJESTATIS TUÆ  
REGIÆ**

Omni humilitatis & obsequiorum cultu,  
veneratione, & contentione De-  
votissimus subiectissimusq;

FRAN: ANT: E. H. von SCHALLNHEIMB.









CAPUT I.  
DE  
DOMINIO SEU IMPERIO ORBIS  
IN GENERE.

SUMMARI A.

- §. 1. *Inter ea, quæ Sapientissimus rerum Creator condidit, non ut situ, ita & dignitate infima censenda terra.*
- §. 2. *Est enim hominis, creaturæ nobilissimæ, domicilium.*
- §. 3. *Eique plenum in ipsam competit dominium. Quod probatur Ex ipsis creatio- nis operibus.*
- §. 4. *Ex sacris Pandectis.*
- §. 5. *Ex Jure Romano: ubi duæ ejus rationes conciliantur, pugnare invicem visæ. in §. 37. de Rer. div. & l. 27. §. f. de Her. pet.*
- §. 6. *Ex usu denique Gentium.*
- §. 7. *Proponitur divisio domini- in privatam, quod proprietate est, & publicam, quod re- Etius Imperium dicitur, de quo ultimo hic agitur.*
- §. 8. *Confirmatur, Imperium hoc à natura competere hu- mano generi, eoque divisio in varios Populos, cuique Populo intra fines sui territorii.*
- §. 9. *Sed hæc divisione factâ, salva tamen manent inter omnes Gentes societatis ac commerciorû jura communia.*

A

illam



\* (2) \*

§. 10. Unde questio examinatur:  
An & hodie, post divisionem  
illam, detur Imperium totius  
orbis, & cui illud, ac quo  
sensu competat? occasione Va-

vicinii Danielis c. 2. & 7.  
item Luc. 2. & L. 9. ff. ad  
L. Rhod. de Jact.

§. 11. Præmittitur varia vo-  
cum, Domini, Imperii &  
Principatus, acceptio.

§. 1.



IN pulcherrimo hujus universi  
opere, quod ab incompa-  
rabili suo ornatu & admi-  
randa concinnitate Romani  
mundum, Græci *κόσμον* dixere,  
quodq; hominum Deorumq; causâ factum  
ait *Cic. de Natura Deorum. Lib. 2. in fin.* non, ut  
situ, ita & dignitate infima videtur hæc,  
quam inhabitamus, terra nostra. Quin ab  
hoc ipso quoque, quod in universitatis me-  
dio, seu Centro, ex meliori sententia, sita  
illa creditur, plus ei ornamenti accedere  
quàm detrahi, & à loco quoque illustriorem  
eam reddi existimandum est.

§. 2. In-



\* (3.) \*

§. 2.

Inprimis verò eximium ei est, quòd sapientissimus rerum Opifex illam constituerit domicilium hominum, Creaturæ, inquam, nobilissimæ, quæ totius universi quædam imago, quin compendium est, & quasi *μικροκόσμος*: Homo enim est opus illud, cujus causâ omnia opera visibilia totumque mundum aspectabilem Creator DEUS condidit: cum enim universa hæc machina facta sit ut in cernendi sensum cadat, quo solus homo, præter animalia, pollet, hujus causâ eam factam esse dicendum est, quam ita homini circumposuit, ita eâ visum hominum circumsepsit & undiquaque cinxit, ut illi è Centro suo stupendum istum rerum operumque apparatus ornatumque quaquaversum circumspicere, contemplari, rimari, & admirari possint.

§. 3.

At vero partem hanc universi, ipsum

A 2

in-

In-



inquam terrarum orbem, effector ille Deus non hominum saltem causâ paravit, sed & in proprietatem ipsis dedit, & libero domini jure concessit. Quod ut ipse verbis oraculisque sacris non declarâisset, factô planè & opere ipso demonstravit, dum talem fecit terram, ut res ejus soli homini nullique alii usui sint; talem homini potestatem dedit, ut ipse iis nemine prohibente uti atque de iis disponere liberè queat; tali denique potestate instructum in medio terræ collocavit, ut in possessionem quasi induxerit; qualis potestas plenum omninò dominium est, neque hoc aliud quid significat.

S. 4.

Sed & ipsemet rerum autor publicè & quasi solenniter id jus sancivit, eamque in ipsa hominum creatione legem dixit, ut universa terra cum omnibus, quæ coelo, mari, ac terrâ inveniuntur, ipsis subjecta esset, iisque



\* (5) \*

que omnibus homines dominarentur ;  
*Gen. 1. v. 28, 29. 30.* quod eleganti hymno ce-  
lebrat Rex David *Psal. 8. v. 6, 7, 8, & 9.*  
ubi, cum gloriam conditi hominis haud mul-  
tò inferiorem Angelis deprædicâsset, addit:  
*Constituísti eum super opera manuum tuarum, o-*  
*mnia subiecisti sub pedibus ejus, oves &c.*

§. 5.

In hanc sententiam dixit Jctus in  
*L. 28. in fin. de usur.* *Omnes fructus rerum natu-*  
*ra hominum gratiâ comparavit;* eumque sequi-  
tur Imperator in *§. 37. de rer. divis.* Ex quo  
capite uterque decidit veterem illam litem,  
de qua contendisse Principes Civitatis, P.  
Scævolam & M. Manilium, cum M. Bruto,  
meminit *Cic. de finib. boni & mali. lib. 1. circa prin.*  
scil. an homo, v g. ancillæ partus, sit in fructu?  
Et statuunt, non esse in fructu, etsi sit in do-  
minio; ex prædicta ratione, quòd homi-  
num gratiâ natura omnes rerum fructus  
comparaverit. Præclarè! Aliud enim o-

A 3

mninò



minò intelligi debet id quod propter alterum conditum est, aliud illud propter quod est alterum conditum. Ut adeò vim rationis parum cepisse videatur post alios Vinnius *ad d. §. 37. num. 1.* qui eam minùs solidam existimat, & ei præfert aliam *ex L. 27. in fin. de petito hered.* quæ vero nihil adversatur alteri, sed eam egregiè firmat ac illustrat. Naturaliter enim hominum fructus sunt operæ eorum, non partus. Neque adeò mirum videri debebat Vinnio, cur homo non sit etiam fructus, cum tamen sit in dominio & serviat alicui domino: Illa ipsa enim servitus, quæ à Gentibus contra naturam introducta, & à bellis orta est, *§. 2. de jure person. pr. de libertin. L. 4. de just. et jur.* consistit in serviendo, non in pariendo. *d. L. 27. in fin.* Et servarum adeò fructus sunt operæ serviles, non partus humanus, seu homo; cum è contrario omnes fructus sint hominis causâ à natura conditi. Non ergo ipse homo est fructus. *d. L. 28. in fin. et*



*fin. & d. §. 37.* Utriusque igitur rationis eadem planè est vis ac sententia.

§. 6.

Idem, quòd hominis sit dominium in terram, inter gentes quoque dubitatum non fuit, sed iudicio, usu, & exercitio omnium id comprobatum est. Ita ex traditionibus gentilibus quoque cecinit Ovidius, *Metamorph. 2.*

*Sanctius his animal mentisque capacius*  
*unum*

*Deerat adhuc, & quod dominari in cetera*  
*posset.*

Et Anfibarii apud *Tacit. annal. L. 13. Cap. 55.* dicunt: *Sicut cælum Diis, ita terras generi mortali-um datas esse.* Idque latiùs, & adeò luculenter è Stoicorum monumentis demonstrat *Cic. lib. 2. de natura Deorum. propè fin.* ut plura addere, rei que, quæ nec aliàs ambigua est, immorari supervacuum videatur.

§. 7.



Dominium igitur universale totius terrarum orbis est humani generis, ab ipso Deo rerum omnium effectore ac molitore ei concessum. Hæc Domini potestas duplex est: alia singulorum, ad usus necessitatesque privatas, quæ propriè *dominium* dicitur; alia, ad publicam tutelam & juris ac justitiæ executionem, quæ subjectionem infert, & *Imperii* nomine venit, *L. 215. de V. S.* etsi sæpe quoque *dominium* vocari soleat. Prius illud in res terræ naturâ datum est; hoc posterius etiam in personas seu homines: Hoc ultimum solum hujus est quæstionis & instituti, de quo proinde unicè nunc agemus, singulorum dominiis suo loco relictis.

Etsi autem, ita ut dictum, *Dominium* publicum seu *Imperium* in terram, eamque  
inco-



incolentes homines, humano generi naturâ transcriptum sit, evidens tamen est, impleto hominibus terrarum orbe, Imperia neque communi hominum, per universam terram disperforum, consensu decerni, neque decreta, etsi uni populo vel personæ committerentur, ad omnes terrarum partes deferri, nedum ubique locorum in effectum & executionem deduci potuisse. Hinc ipsa naturæ necessitas eò rem deduxit, hominesque adigit, ut partes magnæ hujus societatis humanæ facerent, atque in plures Civitates, certis terrarum finibus ac regionibus circumscriptas, discederent, quarum quælibet idem summum imperium intra hos fines habet, quod ante divisionem tota humana societas in universam terram. Unde hæc Imperiorum Regnorumque divisio juri Gentium tribuitur in *L. 5. ff. de just. et jure.*

s. 9.

Neque tamen hac divisione extincta est

B

omnis



omnis hominum societas, quam natura inter omnes constituit; *L. 3. ff. de just. et jur.* sed & ejus salva est ratio, & integra commerciorum ac alia communia naturæ & gentium jura, quippe quæ inter omnes peræque Gentes custodiuntur: §. 1. et 4 de *Jur. Nat. G. et C.* & quibus omnes tenentur; et si Gentium jura voluntaria, quæ vulgo secundaria dici solent, ferè tantum earum Gentium sint, inter quas mutuū aliquod commercium intercedit, & fortè non obtineant apud alias Gentes, quæ nulla nobis commercii consuetudine cognitæ sunt.

## §. 10.

Quæstio igitur sæpe agitata est, an etiam facta hac Regnorum ac populorum divisione, detur adhuc dominium aliquod vel Imperium orbis universale, quod potestatem seu principatum in reliquas gentes habeat? & cui illud, ac quo sensu, competat? Causam



\* (II.) \*

sam ei dedisse videntur, cùm quatuor illa  
 summa orbis Imperia à Daniele, divinisimo  
 vate, *cap. 2. 6<sup>o</sup> 7.* in limine eorum prænun-  
 ciata, ac Gentium annalibus tantopere de-  
 cantata: tum census ille universalis, quo Au-  
 gustus Imperator censi ac describi jusfit  
*πᾶσαν τὴν οἰκουμενὴν*, universum terrarum orbem;  
*Luc. 2. v. 1. 6<sup>o</sup> seqq.* tum denique responsum il-  
 lud Antonini Pii, Imperatoris summi, quod  
 dedit Eudæmoni ac fociis naufragium passis,  
 & à publicanis direptis: *ἐγὼ μὲν τὸ κόσμος κύριος ὁ δὲ*  
*νόμος τῆς θαλάσσης. Ego quidem mundi Dominus, lex*  
*autem maris &c.* in *L. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.*

S. II.

Ut huic quæstioni satisfiat, evolvenda  
 inprimis est horum nominum, dominii,  
 Imperii, ac Principatus varia notatio. Quan-  
 quàm vero in plurimos abeant sensus, omnis  
 tamen variatio, pro præsentī instituto, vi-  
 detur commodè ad tria capita referri posse.  
 Etenim primò nomen dominii seu Principa-



tus significat potestatem propriam superioris in inferiores, quam propriè Imperii nomine venire, & inferre subjectionem veram, jam *supra* §. 7. memoravimus, (2.) Prærogativam summæ dignitatis, & præferentiam præ cæteris, uti Reges & Principes Domini dicuntur etiam à non subjectis. (3.) Potestatem rerum directricem, conjunctam quandoque cum aliqua Imperii specie, etiam in non subjectos. Præmittenda autem est tractatio de vero ac proprio Imperio, de reliquis duobus agemus deinceps.

## CAPUT II.

### AN POST DIVISIONEM ULLI POPULO COMPETIERIT IMPERIUM PROPRIUM ET DO- MINIUM VERUM IN TOTUM TERRARUM ORBEM.

#### SUMMARIA.

§. 1. *Omnes totius terrarum orbis partes nec hodie sunt cognitæ nedum in potestatem redactæ.*

§. 2. *Nabuchodonosorem tantum Asia partem, extra Asiam autem vix quicquam Imperio continuisse.*

§. 3.



S. 3. Nedum immensa India aut Scythiæ Asiaticæ spatia. Ægyptum vero à plurimis Asiæ accenseri.

S. 4. Nec amplius Cyrum ac Persas acquisivisse: cæteras expeditiones non acquirendo Imperio, sed cladibus finitas.

S. 5. Idem de Darii molimini-bus.

S. 6. Quo sensu Cyrus totam Asiam occupasse dicatur. Per Asiam totam Veteres intellexisse Asiam ipsi cognitam, quæ exigua tantum pars ejus fuit.

S. 7. Termini Imperii Persici ex sacro Codice.

S. 8. Alexander M. animo orbem terrarum complexus, quantillam tantum partem habuerit.

S. 9. Summa expeditionum ipsius.

S. 10. In India terminum expeditionis ad Hypasim fluvium fuisse, qui XI. dierum adhuc itinere absuit à Gange fluvio.

S. 11. & 12. Quæ deinde versus

S. 1.

Oceanum navigans invasit: fuisse propè in confinio India & Persiæ.

S. 13. Quantilla hæc portio fuerit, comparata cum orbe terrarum, etiam cognitio.

S. 14. Vastitas consilii & cogitationum ipsius.

S. 15. Quantum abfuerit ab eventu. Ipsum suo quoque Judicio defecisse in operum exordio.

S. 16. Quarta Imperii Rom. potentia & amplitudo per omnes orbis cogniti partes.

S. 17. Romanorum veterum stupenda virtus, & incomparabile Justitiæ Studium.

S. 18. Rom. Imperii summa præ omnibus gloria.

S. 19. Ei communi Gentium consensu assertum fuit orbis Imperium.

S. 20. Neq; tamen Populus Rom. quoque totum orbem terrarum Imperio & potestate tenuit.

S. 21. Quo sensu ergo ipsi id competat.

**E** Quidem non potest in disceptationem deduci tota terra, cum pars ejus longè maxima ne cognita quidem fuerit ve-

B 3

teribus,



teribus, & hodiè quoq; ingentia terrarum spatia sint, quæ orbi nostro nondum innotuerunt; tantum abest ut adita, nedum in potestatem redacta fuerint. Tantùm igitur de orbe nostro cognito, atque in tres partes à Gentibus distincto, quæstio esse poterit.

§. 2.

Cùm igitur quatuor potissimùm Imperia præ cæteris à potentia & Imperii amplitudine in Annalibus celebrata fuerint, & per omnes orbis terrarum partes arma circumtulisse dicantur, primùm de tribus prioribus videbimus, de populis, inquam, Assyriorum, Persarum, & Macedonum seu Græcorum, num proprium Imperium in hunc orbem nostrum habuerint? Id verò nec quisquam annalium peritus ipse statuet, nec cuique nisi omnium rudi persuadebit. Etenim Assyrii & Persæ ne Asiam quidem omnem tenuerunt, sed modicam tantùm ejus portionem;

ex



ex reliquis verò terræ partibus, si ab Ægypto discefferis, vix quicquam. Rex ille sacris literis clarissimus, Nabuchodonosorus, quidem expeditionem in Æthiopiam, quin & in Iberiam suscepisse dicitur. *Joseph. Antiq. L. 10. cap. 12. in fin.* Non videtur tamen stetisse Imperium Assyriorum in his terris, etsi urbem Æthiopiæ primariam ab eo occupatam memoret *Joseph. dict. loc.*

S. 3.

At nec Indiam, nedum vastum illud Regnum Chinense, aut immensa Tartariæ Scythiæve Imperia ac spatia ingressus legitur, quæ faciunt Asiæ partem longè maximam. Etenim in Indiam neminem præter Semiramidem & Alexandrum M. intrasse testatur *Trogus apud Justin. lib. 1. hist. cap. 2.* & multo minùs igitur in remotiores, & aditu longe difficiliores terras. Primum itaque hoc Imperium summum ne unam quidem terrarum partem



partem complexum est; Ægypti verò Regnum plures Geographi insignes partem & accessionem Asiæ statuerunt, uti *Pomp. Mel. de situ orbis. L. 1. c. 9.* cui adstipulatur Æthici *Cosmographia. rubr. Asia provinciæ situs &c.* Ut aded appareat Assyrios vix quidquam ex orbe terrarum præter modicam Asiæ partem Imperio continuïsse.

§. 4.

Alterius deinde summi Imperii Reges, Cyrus scil. & Successores ipsius, Persarum Reges, Asiam & Ægyptum Imperio non excessere, ipsius Asiæ vero itidem particulam tantum possederunt. Expeditionem enim Cyri in Scythas, seu Massagetas, susceptam ipsi fatalem fuisse, ac successu caruisse notum est. *Herod. L. 1. in fin. Just. Hist. lib. 1. cap. 8.* Quemadmodum & Darii expeditionem in Scythas Europæas amissâ magnâ exercitûs parte turpis fuga foedavit. *Herod. cap. 17. in lib. 4. Cornel. Nepos*



pos in *Miltiad. Justin. lib. 2. cap. 5.* & Persarum irruptiones in Græciam gravissimis ipsorum cladibus funestatæ ac multatæ sunt. *Herod. cap. 162. & seqq. in L. 61. & cap. 213. & seqq. L. 8. Corn. Nep. in Miltiade & in Themist. Justin. L. 2. cap. 9. Plutarch. in Themist. cap. 2. & in Arist. cap. 4.*

§. 5.

Licet verò Darius ipse Thraces quoque, Jones, & Macedones aggressus, devicisse eos dicatur, mox tamen Marathonicâ pugnâ victus, totaque Græciâ, quin Europâ pulsus fuit, ut iisdem Autoribus constat. Hæ ergo præliorum vices fuerunt, & his cladibus non quæsitum fuit jus Imperii, sed debilitatum.

§. 6.

Equidem Cyrus & Darius totam Asiam occupasse dicuntur. *Herod. cap. 24. & 25. in lib. 7. & Justin. lib. 1. cap. 8.* Verùm, illi intelligunt Asiam tunc cognitam & pervestigatam, quod

C

tum



tum solenne fuit. Ita enim *Curtius L. 7. cap. 7.* inquit, *Ultima Asia Bactra*, (quæ tamen adhuc cis Indum amnem, & Tanai conclusa fuere.) *eaq; Septentrioni proxima esse: & tamen agnoscit, profundas inde sylvas vastasq; solitudines excipere.* Scilicet, quia reliquos versus Septentrionem populos, quod singulos non exploratos haberent, comuni nomine Scytharum appellârunt. *Vid. Dn. Preses in jur. publ. Prol. §. 10.* atq; ita Scythiam quoque ab Asia sæpè distinguebant, *Justin. L. 2. cap. 2.* Quin Darius ipse demum bonam adhuc Asiæ partem investigâsse dicitur, & tum demum deprehensum, eam Lybiæ parem esse, præter eam quæ ad orientem solem spectat, (quales sunt Chineses) ut pluribus tradit *Herod. cap. 105. in L. 4.* Adeò ne cognita quidem, nedum occupata fuit Asia.

§. 7.

Denique intra Indiam & Æthiopiam etiam sacer Codex Imperium Persicum coërcuit



cuit. *Esther. L. 1. vers. 1. & seqq.* quæ Regio prædictam tantum Asiæ partem cum Ægypto complectitur, tam longè id absuit ab Imperio orbis.

§. 8.

Huic tertium succesit Imperium summum, Macedonum seu Græcorum; Enimverò autorem ejus, Alexandrum M. animo Imperium orbis terrarum, quâ fuit ambitione & vanitate, sibi concepisse non dubitatur: Id enim & jaçtabat ipse, *se totius orbis Imperium mente complexum: & oratione ad milites habitâ deprædicabat, illos victores perdomito sine terrarum reversuros in patriam. Curt. L. 9. cap. 2. Et pleniùs deinde suo ad amicos alloquio. d. l. cap. 6.* Verùm videamus, quantillum id fuerit, quo ipse limites utriusque, quod præcesserat, summi Imperii superaverit.

§. 9.

Equidem Europæ quoque partem insignem,

C 2



gnem, &, præter Græciam scil. ac Macedoniam, Illyricum quoque & Thraciam Imperio tenuit. *Curt. d. L. 9. cap. 6.* Reliquum verò, quicquid victoriis ille peragravit, nihil quoque nisi pars Asiæ cum Ægypto fuit, nisi quod Scythas cis Tanaim, adeoque in Europa degentes, qui urbem in ripa illius fluvii Alexandri nomine exstructam diruerant, hujus ulciscendæ injuriæ causâ, trajecto fluvio & commisso proelio, devicerit. Victo enim & interfecto Dario occupavit victor Persicū Imperium in Asia, atque in eo subegit populos ad Pontum Euxinum & Tanaim fluvium, limites Asiæ versus Boream, & superato Caucasio monte, omnes qui mare Caspium quaquaversum accolunt, nec non, qui ultra illud mare degunt, Sogdianos & Bactrianos, adeoq; partem Scythiæ: quemadmodum & alteram Asiæ latus versus meridiem usque ad fines Indiæ, unâ cum Ægypto, in potestatem redegit. Hæc autem omnia hætenus etiam

Re-



Reges Persarum jam antè obtinuerant.

§. 10.

Præterea vero expeditionem suscepit in Indiam, atque hoc factò Imperium suum ultra limites Persici protulit. Dispiciamus igitur quid hac tam famosa expeditione assecutus fuerit. Scil. ingressus Indiæ fines rectâ promovit in Orientem, ut ita Asiam emensus Oceanum adiret, quem tum credebant esse terrarum ac naturæ terminum. Primùm igitur trajecto flumine Indo, qui Persiam ab India separat, procescit usque ad fluvium Hydaspem, *Curt. lib. 8. cap. 10. 12, & 13.* ubi Pori Regnum erat: hoc magnâ virtute subactò, ad fluvium Hypasim pervenit, atque ibi subsistere coactus, nec ultra progressus est, cum adhuc abesset à Gange fluvio undecim dierum itinere. *Curt. lib. 9. cap. 2.* Hic igitur meta expeditionis fuit, & cum milites sequi longius nollent, ac Ducum unus, Coenon, nomine



eorum deprecaretur, atque autor esset, ut potius versus meridiem viferet Oceanum, 12. aras, quasi monumenta finitæ expeditionis, posuit, & versus Aufinem & Indum fluvios, quâ intraverat Indiam, retrocesit. *Curt. d. lib. 9. cap. 3.*

## §. II.

Patet igitur, adè ipsum ne quidem Indiam intra Gangem peragrâsse, ut adhuc undecim dierum itinere ab hoc flumine abfuerit. Reversus autem navibus cum Exercitu per Aufinem, & Indum Amnem, in quem influit Aufines, descendit versus meridiem in Oceanum, atque ita invitus consilium Coenomis saluberrimum executus est. In hac navigatione, & propè in confinio Indiæ & Persiæ, Exercitum in vicinas terras aliquando è flumine exposuit, Gentesque Aufinis & Indi accolas debellavit, de qua expeditione acreditu ab Oceano in Persiam latè agit *Curt. d. L. 9. cap. 4. Et seqq.*



Unde constat ipsum ferè in limine ad-  
 huc Indiarum saltem substitisse. Etsi enim  
 in primo Indiarum ingressu ampla aliquot  
 Regna, partim deditione, partim vi & incre-  
 dibili virtute in potestatem acceperit, isque  
 haud exiguus terrarum tractus, usque ad Hy-  
 pasim expeditionis finem, fuisse videatur, to-  
 tum tamen hoc spatium terræ inde ab Hypasi  
 retrò ad Ausinem fluvium (apud quem, ante-  
 quam Hydaspi, & cum eo deinceps Indo a-  
 mni miscetur, castra posuit. *Curt. L. 9. cap. 3. in  
 fine & cap. 4. in pr.*) modicus saltem Indiarum  
 angulus erat. Reliqua verò omnis Regio,  
 quam inde armis cepit, non nisi extrema In-  
 diæ ora, & vicina Indo amni, qui eam à  
 Persia separat, fuit, quia eam tantum transi-  
 tu, dum per Ausinem & Indum in finibus  
 Persiæ navigat, exscendendo in vicinas ripas,  
 incredibili sanè virtute, occupavit.



Quodsi jam Imperium Persicum, quod Alexander M. victo Dario nactus est, & prædicta Indiæ pars, quam subegit, comparetur cum reliquâ Asiâ, quam latè illa patebat versus septentrionem, saltem usque ad Oceanum Tartaricum, & versus meridiem ad Oceanum Chinesium, quos ne attigit quidem, apparebit quantum ille abfuerit adhuc à finibus Asiæ, quam tamen & ipsam falsò sibi persuaserunt esse finem terrarum. Et, cùm igitur nec Africam ultra Ægyptum, nec reliquam Europæ partem tentaverit, nedum in potestate habuerit, constat quantilla fuerit ea orbis terrarum veteris particula, quam ille Imperio tenuit.

Equidem cogitâsse eum animo constat, cùm adhuc in Indiis hærebat, subactâ Asiâ usque ad finem mundi (à quo haud procul se jam



jam tum abesse amicis persuasum voluit, *Curt. L. 9. cap. 6.*) è Syria petiturum Africam, & inde è freto Gaditano Hispanias adire, actum, prætervectis Alpibus & orâ Italiæ, Epirum reverti, ut refert *Curt. L. 10. cap. 1.* Et de Carthaginensibus dicitur, quòd veriti, ne Persico Regno & Africam adjungere vellet Macedo, legationis specie Hamilcarem miserint speculandi causâ. *Justin. L. 71. cap. 6.* Sed stetit res omnis intra cogitationem, & defecit ille in ipso limine conatum.

§. 15.

Quod & ipsum Alexandrum M. agnovisse ex *Curt. L. 9. cap. 2.* patet, cùm animo secum volentem refert, se totius orbis Imperium mente complexum, adhuc in operum suorum primordio stare. Atqui, cùm hoc mente agitabat, jam finem expeditionis fecerat, & reverti jam statuerat ad fines Persiæ, ex quo nihil ulterius ille adjecit Imperio suo quàm

D

extre-



extremam istam Indiæ versus Persiam partem quæ in meridiem patebat. Igitur, cùm finis expeditionis suæ jam esset, stetit saltem in primordio operum suorum, scil. occupationis terrarum; & cùm jam finisset, fuit adhuc saltem in exordio. Atque adeò nec tertium hoc Imperium continuit orbem terrarum, quin nec ullam ejus partem integram, sed modicam Asiæ portionem & Europæ, præter Ægyptum Imperio Persico subiectam.

§. 16.

Quartum denique Imperium, scil. Romanum, priorum omnium modum, virtute, potentiâ, magnitudine, gloriâ & perseverantiâ superavit. Et sanè, si aliquod orbis Imperium constitui & appellari fas est, nulli alii justius id nomen conveniet, quàm Romano, quod omnium orbis cogniti partium præcipua Imperia uno Imperio Romano comprehendit. Ita enim in Europa, præter Italianam



liam & Siciliam, (quam quasi continentis partem, quodammodo Italiae suae abscissam & veluti revulsam, spectabant Romani *Flor. L. 2. hist. Rom, cap. 2.*) &, præter Insulas alias vicinas, Græciam, Macedoniam, Hispaniam, Galliam, Illyricum, Pannonias, Daciam, Moraviam &c. præcipuos & potentissimos Europæ populos, & ferè Europam, armis occupârunt, atque in ipsam Germaniam penetrârunt, ut vix inde quasi à limite suo fatali repulsi fuerint. In Africa, victâ Carthagine, quæ imperitabat Africæ, nihil reliquum fuit, quod armis eorum resisteret. Sed & Asiæ magnam partem populus Romanus tenuit, & sic latius multò Imperii sui fines quàm quisquam decessorum propagavit. Inde *Flor. L. 2. cap. 1.* ait: *populum Rom. subjectâ primum Italiâ, 200. annis Africam, Europam, Asiam, totum denique terrarum orbem bellis victoriusque peragrâsse.*

§. 17.

Fuit tantò magis & sanctius hoc Imperium,  
D 2



rium, quòd nullum aliud existit, in quo tot & tam stupendæ virtutis exempla, & propè prodigia, enituerint, quodque tanto religionis erga Deos, & justitiæ studio, ac tam solidâ legum ac jurium prudentiâ munitum fuerit. Idque omnes propè Gentes sensere, quæ excusso licèt Imperii Rom. jugo, juris tamen Romani reverentiam retinuerunt. Non quòd omnia hæc jura Gentibus convenient; (multa enim ex Principum, maximè Justiniani, nutu statuta, & propria Civium Romanorum fuerunt.) sed quia ipsum juris corpus ex vernaculis juris Gentium fontibus derivatum, & ex ejus æternis præceptis, quæ omnium Gentium communia sunt, compositum est. *l. 1. §. 2. ff. de just. & jur. ut meritò Roma dicta fuerit à Claudian. Paneg. 3. in laud. Sicilic. Armorum legumque parens.*

§. 18.

Tale itaque cum fuerit Imperium Rom.  
non abs re est quod dixit Livius, *L. 1. cap. 4.  
Roma*



*Roma maximum secundum Deorum opes Imperium  
fuisse. Et quòd Claudianus d. Paneg. 3. itidem ceci-  
nit ; Romæ deberi,*

*Quòd Cuncti Gens una sumus.*

S. 19.

Sanè omnium propè Gentium suffragio  
& quasi conspiratione, orbis Imperium Ro-  
mano nomini asertum fuit : Ita *Herod. hist.*  
*L. 2. cap. 38.* inquit: *Romanos, subactis bello Græcis  
& Barbaris, terram ac mare Imperio possedis-  
se: neque terra plagam aut cæli clima fuisse, quo non  
Imperium extenderint.* Eumolpus apud *Petron.*  
*Arb. in Satyr. ait:*

*Orbem jam totum victor Romanus habebat  
Quà mare, quà terra, quà Sydnus currit utrumq̃.*

Et *Ovid. de art. amand. L. 1. v. 77.*

*Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi,  
Addere; nunc Oriens ultima noster eris.*

Cicero quoque *Orat. pro Deiot. Reg. Cæsarem,*  
postquam Pompejum & Duces Romanos,  
qui nimiâ ambitione partes senatùs, id est,



eadem quas plus quàm immani & belluinâ  
 fœvitiâ Sylla quoque seditiosissimis armis tuta-  
 tus fuerat, profligâsset, victorem orbis terra-  
 rum appellat. Lucanus *L. 7. vers. 972.* cùm  
 lessum quasi faceret Imperio Rom. in clade  
 Pharsalica, ita Romam alloquitur:

*Te geminum Titan procedere vidit in axem,  
 Haud multum terræ spatium restabat Eoa:  
 Ut tibi nox, tibi tota Dies, tibi curreret æther,  
 Omniaque errantes stelle Romana viderent.*

Florus in *prologo hist. Rom.* prædicat, *Populum  
 Rom. ita late per terrarum orbem arma circumtu-  
 lisse, ut qui res ejus legunt, non unius populi, sed  
 generis humani facta discant.* Et mox: quòd 200.  
 annis totum orbem pacaverit, quin *L. 4. cap. 3. in  
 fin. Romana dominationis, humani generis conver-  
 sionem vocat.* Ita Vellejus Paterc. *L. 1. cap. 12.* victâ  
 Carthagine, jam terrarum orbem superasse statuit.  
 Et *l. 2. cap. 31.* cùm Cn. Pompejo, ad bellum  
 Piraticum misso, æquum cum Proconsulibus  
 Imperium in Provinciis datum esset, dicitur;  
 hoc Scto pænè totius terrarum orbis Imperium uni  
 viro delatum fuisse; Eademque ratione *d. l. 1.*

*cap. 32.*



cap. 32. quòd ille Pompejus hoc bello, pulsus  
& victis Piratis, terrarum orbem brevi liberaverit.  
Atque ita Justin. l. 43. cap. 3. docet, subactâ Italiâ,  
mox orbis Imperium quæsitum fuisse. Quod ma-  
gnificè deprædicabat Polyb. Hist. lib. 1. cap. 63.  
in fin. Ex quibus, inquiens, manifestum est, quòd ini-  
tium proposuimus, Romanos non fortunâ vel casu,  
sed summa ratione, in talibus tantisque rebus ex-  
ercitatos, non tantum animo concepisse universi  
Imperium fortiter, sed & propositum assecu-  
tos fuisse. Et lib. 1. cap. 3. refert: quòd subacta  
Carthagine potissimam & maximam partem ad  
capessendum universi Imperium jam confectam pu-  
tauerint. Et paulò post probat, quàm justis  
rationibus Romani Imperium & potentatum uni-  
versi obtinuerint.

## §. 20.

Neque tamen quantumcunque illud Im-  
perium fuerit, potestatem in uniuersum or-  
bem terrarum actu habuisse dixeris: etsi enim  
sibi constaret calculus quorundam, qui tem-  
pore Trojani, quo latissimè patuit, longitu-  
dinem



dinem ejus 90, & latitudinem 45. graduum fuisse, quod nunc non excutimus, non tamen ille modus orbis terrarum, sed vix duodecima ejus pars fuisset. Equidem Macrobi. *ad Somn. Scip. lib. 2. cap. 10. in fin.* inquit: *Romani nominis gloria transire Caucasum & tranare Gangem non potuit.* Et Strabo, *lib. 7. Geograph. cap. 1.* *Fatetur, suo adhuc tempore ignoratum fuisse quicquid supra Pontum & ultra Albim, & quid ultra Bastarnas fuerit.* Quæ longè adhuc absunt, & distant ab ambitu orbis terrarum.

## §. 21.

Videndum igitur qua ratione orbis Imperium nomini Romano asserendum sit, quo apparebit, illud non solis terrarum finibus metiendum, sed & faniore titulo & illustriore sensu id Romano Imperio competiisse, eoque etiam hoc tempore, quo axioma illud Regno & populo Germanico cohæret, ejus id eximium esse.

## CAP. III.



## CAPUT III.

## QUAM VERE, ET QUO SENSU IMPERIO ROMANO TRIBUATUR PRINCIPATUS ORBIS TERRARUM.

## SUMMARI A.

- §. 1. **B**artoli immodica sententia.
- §. 2. Quam absurda, & in Germaniam inprimis vittricem iniqua.
- §. 3. Demonstratur ex ipsa l. 24. de Captiv. perpetua Germanorum libertas, à Romanis quoque agnita.
- §. 4. Bartoli opinio rejecta de iis qui Imperio non parent, ut de Venetis.
- §. 5. De terris Pontifici donatis, de Sicilia, Francia, Anglia &c.
- §. 6. De Græcis, Tartaris, Sarcænis.
- §. 7. Quo sensu Princeps Romanus sit Dominus orbis.
- §. 8. Romanum Imperium esse totius orbis primum demonstratur.
- §. 9. Superiora fuisse in perpetuum destructa.
- §. 10. Romanum non item. Quo modo illud à Germanis Regibus reparatum, Germanique unitum fuerit.
- §. 11. Hanc eminentiam verè æ genuino sensu dici Principatum orbis terrarum.
- §. 12. Item dominium mundi.
- §. 13. Quin & regnum mundi.
- §. 14. Id nemini unquam justius tributum fuisse, quam Imperio Romano.
- §. 15. Romanis si vitio bella gessere, nunquam id impune, idq; à cura sui Numinis fuisse.
- §. 16. An Attila & Tamerlanes dici possint victores orbis terrarum: uterq; dictus flagellum DEI, alter Orientis, alter occidentis.
- §. 17. Principatum hunc orbis Germaniæ unitum fuisse jure O. M.
- §. 18. Hodieque coherere.
- §. 19. Alio quoque sensu Imperium Romanum Imperium orbis rectè dici.



- §. 20. *Hæc ratio superiori jun-  
cta rem omnem conficit.*
- §. 21. *Non mutatum Imperium  
Romanum, etsi totus Oriens  
inde segregatus fuerit.*
- §. 22. *Effectum hujus Principa-  
tus orbis imprimis statui in di-  
rectorio eorum, quæ ad salutem  
communem Gentium spectant;  
quod autoritatibus docetur.*
- §. 23. *Usum verò ejus hodie vix  
excedere fines orbis Christia-*

*ni; & ideo caput & sum-  
mum Advocatum Christiani-  
tatis dici.*

§. 24. *Praenii explicatio reip.  
Gentium Christianarum, ejus-  
que Directorii, und ersten  
Herschilbes*

§. 25. *An quædam executio hu-  
jus Principatus statim possit?*

§. 26. *De reliquis prærogativis  
remissive.*

§. I.

**N**on igitur nostrarum equidem partium  
est, stare ab immanibus Bartoli ausis, qui in  
*l. Hostes. 24. n. 2. & seqq. ff. de Capt. & postl.* ut illum  
textum componeret cum sacro Codice, com-  
pulsus se putavit, ut statueret, omnes Reges  
totius orbis jure quodam subiectos Imperato-  
ri Romano, idq; & dicendum & credendum  
esse; ita ut, qui aliter sentiunt, eos præcipiti ni-  
mis & incompetenti judicio, Hæreticos pro-  
clamaverit.

§. 2.

Nos, ut nihil detractum volumus Maje-  
stati nominis Romani, ita nec juribus & di-  
gni-



gnitati Germaniæ. At enim, si causam hanc Bartolo, ipsam quoq; victricem Germaniam Romanis, victorē victo subjiçiemus: &, si Populi olim Romani imperium in omnia Orbis regna fuit, etiam in Germaniam fuisse fatendum erit. Quo fieret, ut nunquam populus Romanus hostem habere, nunquam ulli regno cum populo Romano bellum esse potuisset; cū, Bartolo autore, nulla regna libera, sed Romano Imperio obnoxia, atq; adē non hostes Romanis, sed perduelles; nec bella in Romanos fuissent, sed rebellionem. Quæ non alia re efficacius quàm ipso hoc textu refelluntur.

§. 3.

Etenim definitur ibi, quinam jure gentium hostes dicendi sint, ita ut jura & effectus belli, captivitatis, postliminii &c. inter eos valeant: scil. liberi populi, qui neque invicem, neque aliis subjeçti sunt, adeoque Judicem non habent nisi Martem: uti est populus Romanus, & populi ei similes, qui invi-

E 2

cem



cem bellum indicunt, adeoque hæcenus pares sunt. Exempla hujusmodi populorum refert Jctus in *d.l. 24.* Germanos & Parthos, duos Imperii Romani ab utroq; latere, Orientis & Occidentis, vicinos, eoq; perpetuos hostes. Per hunc igitur textum, adeoque ipsius populi Romani judicio, post Cæsares, Augustos, Tiberios, Germanicos, qui orbis terrarum propè vires in Germaniam & Belgium converterant, Germani perinde liber populus fuerunt, ac Romani ipsi.

§. 4.

Qua ratione porrò labi videtur Bartolus, cùm duo adhuc populorum genera refert, quos Imperio quidem Romano non parère, & tamen subesse autumat. Quosdam enim ait esse populos, qui non parent Imperio, quia dicunt id se facere ex privilegio Imperatoris, & in id allegat Venetos. *ad d.l. 24. n. 4.* Quod nunc mittimus; etsi quàm inepta & fri-



frivola ejus ratio sit, quòd, cùm ex privilegio Imperatoris id sit, ille id revocare possit, nemini obscurum esse poterit.

§. 5.

Alios verò esse, qui non parent, quia asserunt se libertatem habere ex contractu; & huc refert terras Dno. Papæ donatas, & Reges Siciliae, Franciæ, Angliæ, & reliquos. *ad d. l. 24. n. 6.* Enimverò, etsi de terris istis & Sicilia concedimus, Anglia certè seu Britannia, ex quo ab Anglo Saxonibus è Cimbrica Chersoneso occupata fuit, in nullius deinde potestatem pervénit, & nec à Merovingis, nec Carolingis, nec sequentibus tentata fuit. Francia verò Gallica subjugata quidem fuit à Francis Germanis, quibus Imperium Romanum Occidentis deinde accessit; at pactis divisionis, usque ad Scaldin, Mosam, Ararim, Rhodanum, inde separata ac sui juris facta est.

E 3

§. 6.



Major Bartolo labor est, qua ratione Græcos, Tartaros, & Saracenos, in hujus Imperii unitatem conciliet; quos ait extraneos esse, & suum singulos Regem, dominum orbis asserere. Sed brevibus se expedit *ad d. l. 24. n. 8.* hoc verbo: *Parum ad nos qui foris sunt.* Ut adeò incassum laborare cum Bartolo non lubeat. *Conf. §. 15. inf.*

Et si verò Romani Imperii magnitudo plenum & quasi exundantem illum ac immodicum domini orbis sensum non impleat, qui nec cum humani generis conditione satis pacari potest; nihilominus tamen solenni & eximia quoque ratione, (quæ si non Bartolum, at Antoninum, Sapientissimum & Pientissimum Imperatorem, ac sacrum omninò Codicem planè absolvet) verisimè à laudato Antonino dictum est, Impera-  
ra-



ratorem Romanum esse dominum orbis terrarum.

Etenim certum in primis est, Romanum Imperium præcipuum totius orbis esse; uti ex Livio *lib. 1. c. 4.* jam produximus illud: *Romæ maximum, secundum Deorum opes, imperium esse.* Id verò evidenti hac ratione demonstratur, quoniam tria superiora orbis Imperia summa armis vicit; victor autem in omne jus victi succedit, ejusque locum, eminentiam, ac dignitatem ultimâ victoriâ sibi acquirit. *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 8. § 15.* Unde non tantum primæ illius partes erunt, si cum reliquis sui ævi regnis, sed &, si cum superioribus Imperiis summis contendatur. Primo enim à Persis subactò, jus ejus & excellentia omnis ad alterum; hoc pariter domito, utriusque Majestas ad tertium; & hoc quoq; à Romanis superato, omnium in Romanum Imperium confluit & coaluit.



Accedit, quòd priora summa Imperia,  
 destructa penitus, nec unquam deinde resti-  
 tuta fuere, sed in busta & in tumbas suas e-  
 vanuere, & ruinis suis in perpetuum conse-  
 pulta, nunquam è naufragiis emerlere.

§. 10.

At Romanum Imperium iterum destru-  
 ctum ita ab alio non fuit, sed adhuc perdurat:  
 etsi enim cum barbararum Gentium inva-  
 sionibus quoque diu multumque confli-  
 verit, quin & sedes ipsius, Italia, à Gothis  
 & Longobardis capta, & totum deinde  
 Occidentis Imperium, Francorum seu Ger-  
 manorum Regum armis ac virtute victum  
 fuerit; horum tamen victoriis etsi occupa-  
 tum, & populo suo Germanico acquisitum,  
 non tamen destructum, sed è contrario de-  
 fensum & restauratum felicissimè fuit. Ete-  
 nim hi piissimi & verè heroica indole Reges  
 Ger-



Germani Romanum Imperium, non Romanis sed Romanorum hostibus & inuasoribus, bellica virtute ac felicitate abstulerunt, ereptumque iis cum victrice sua Germania in diuiduo nexu, æternoque foedere univerunt. Adeò quicquid in reliquis omnibus Imperiis infedit gloriæ, Majestatis, ac eminentiæ, id omne inde quasi collectum congregatumq; in populum Germanum, &, quod ei quæsitum est, Imperium Romano Germanicum transfusum fuit, atque in ejus visceribus refocillatum gloriosissimè reviruit.

§. II.

Hoc igitur Imperium rectè & verè dominium orbis dicitur, quod præcipuum orbis membrum, atque adeò orbis caput est. Hic enim verus Principatus est orbis terrarū, quem gerit Princeps terrarum populus: uti in civitatibus præcipuū Senatus membrū Princeps civitatis, seu Princeps senatus dicitur;

F

qui



qui Principatum in civitate gerit, non potestate Imperii, quod penes totum Senatum vel populum fuit, sed autoritate & facultate directrice rerum Senatùs communium. Atque id propriè Principatus est, quem ita accuratè describit *Doctiss. Gronov. ad Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 10. n. 1.* ubi ait: *Principatus est primus dignitate & autoritate locus inter jure liberos: adeoque non infert Imperium seu propriam potestatem magistratùs, sed dirigendi autoritatem.* Ita Scipio Africanus Principatum Senatùs obtinuisse dicitur. *Plut. in Scip. Afric. cap. 39.* Et apud Athenienses Aristides & Themistocles de Principatu civitatis certasse: *Corn. Nep. in Aristid. cap. 1.* quemadmodum & duæ illæ clarissimæ civitates Græciæ, Athenæ & Sparta, de Principatu Græciæ acerrimis studiis contendisse: *Idem in Themist. cap. 6.* & Rhodii Principatum maris obtinuisse feruntur. *Polyb. lib. 4. histor. cap. 47.* Quin Græcia, quâ fuit & armorum & sapientiae eo tempore famâ ac gloriâ, Princeps

or-



orbis terrarum dicta est: *Justin. l. 8. cap. 4.*  
 & in eundem sensum Pompejus, *apud Ci-*  
*ceronem sapius*, & Æmilius, *apud Livium lib. 3. c. 1.*  
 Princeps civitatis; & alius, Princeps Gentis  
 Ætolorum; *apud eund. lib. 34. cap. 23.* quemad-  
 modum apud Tacitum, Principes juventutis  
 &c. Quibus locis omnibus per Principa-  
 tum intelligi patet præcipuam in rebus ge-  
 rendis auctoritatem, & quandam, ut Thucy-  
 dides *lib. I. fol. 64.* appellat, *ἡγεμονίαν*, seu quasi  
 directoriam potestatem.

§. 12.

Hujusmodi igitur Principes etiam *κύριος*  
*Domini*, rectè dicuntur, atq; ita Princeps Ro-  
 manus, *κύριος ἔ νόστος*, Dominus mundi, in  
*l. 9. ff. Ad l. Rhod. de fact.* laudatur. Voces e-  
 nim domini ac domini in publicis eandem  
 vim habent, ac Principatus, ut primariæ au-  
 toritati tribuantur: quemadmodum Princi-  
 pes, *Domini*, dicuntur etiam ab iis in quos pot-



estatem non habent. Et solenne Romanis fuit, iis, qui curam agebant ludorum ac certaminum publicorum, & in factiones distincti erant, *dominos factionum* dicere; *Sueton. in Neron. cap. 5.* etiam in inscriptionibus publicis, ut in illa Lanuvii, quæ refertur *add. loc. Suet. in not.* Voce enim eâ non solum dominium proprietatis, sed & omnium jurium, nec tantum jurisdictionis, sed & cuiusq; potestatis dicimus. In *d. l. 9.* igitur dominium mundi est Principatus Imperiorum mundi, id est, caput seu primarium mundi Imperium: de cuius vi & effectibus deinceps.

S. 13.

Hoc dominium seu Principatus universi etiam regnum seu imperium mundi eodem sensu dicitur: quomodo Roma regina urbium, urbs Venetiarum regina insularum quandoque vocatur. Hæc enim verba generaliter cum ad omnem præminentiam singularem

re-



referri solent, tum omnem regendi ac curan-  
 di potestatem complexu suo continent.  
 Nam & Rex Sacrorum erat apud Romanos:  
*Liv. lib. 2. cap. 2. Gell. Noct. Att. lib. 15. cap. 27.*  
 cujus præcipua sacrorū cura, at ab omni alia ad-  
 ministracione ipse exclusus fuit: *Dionys. Halin.*  
*lib. 4. cap. 79. in fin. & lib. 5. cap. 1. in fin.*  
 ejusq; uxor Regina dicta fuit. *Rosin. Antiq. Rom.*  
*lib. 3. cap. 25.* Apud Spartanos Reges fuere, qui-  
 bus præcipua bellorum potestas commissa e-  
 rat, ex instituto Lycurgi. *Justin. lib. 3. cap. 3.*

5. 14.

Atque hic orbis Principatus, hoc domini-  
 um, hoc regnum, nemini unquam justius,  
 quàm populo Romano vindicatū fuit: Nullū  
 enim à superioribus Regibus Imperium tanta  
 virtute, tanto justitiæ & pietatis studio quæsi-  
 tum, gestum, munitum & cultum fuisse quàm  
 Romanū, non poterit inficias ire, qui res gestas  
 ejus populi, & bellorum causas evolverit, &  
 perspectas habuerit. Etenim incredibile di-

F 3

ctu



Quæ est, quantâ animorum constantiâ casus  
 omnes cladesque pertulerint; quantâ fortitu-  
 dine ac prudentiâ rem labantem restituerint  
 ac fulserint; quantâ sollicitudine caverint, ne  
 quicquam nisi auspicatò, id est, peractis antè  
 facris, nec bella nisi ex justis causis, sedulò pri-  
 mùm excusis, inciperent; ne quid vel in ho-  
 stem injuriâ, vel in victoria impotenter aut  
 immoderatè fieret: quàm Justitiæ, & æqui, &  
 fidei tenaces: quantum juris & inveniendi,  
 & constituendi, & servandi studium: quàm  
 Gentes omnes eorum leges reveritæ fuerint:  
 quantâ contentione egerint, ut socii incolu-  
 mes, & populorum ac gentium jura integra  
 & salva manerent &c. Quæ omnia ad mira-  
 culum usque eximia, & adeò præclara fuère,  
 ut in pauca cogi non possint. Delibatum ali-  
 quid est *sup. cap. 2. §. 17. 18. 19. & à D. Pres. cum in*  
*Orat. inaugurali Trajecti habitâ; tum in Diss. de*  
*Justo præliorum exitu.* Compendio autem diser-  
 tissimo ea recenset ac deprædicat *Flor. in*  
*Hist.*



*Hist. Rom. per tot. qui lib. 1. cap. 18. cùm aëta vir-  
tutesque hujus populi in bello, quod cum Pyr-  
rho gesfit, attigisset, ita concludit: Quis ergo mi-  
retur, his moribus, virtute, militiâ, victorem populû  
Romanum fuisse. Eodemque loco Pyrrhum  
ipsum admirabundum exclamâsse refert: O  
quàm facile erat orbis Imperium occupare, aut mihi  
Romanis militibus, aut me Rege, Romanis!*

§. 15.

Proditâ quidem etiam sunt exempla, quòd  
Romani vel pacem superbè spreverint, vel in  
bello proterviùs egerint. Sed & pauca illa  
fuère, & quod argumentum videtur populi  
DEO cari, ne impunè peccando à virtute,  
eoque à felicitate sua deficeret, proterviam è  
vestigio continentibus cladibus & calamitati-  
bus luere oportuit: uti ad Alliam, ad furcas  
Caudinas, ad Trasimenum lacum, ad Cannas;  
& impietatem P. Claudii Consulis naufragio  
classis in mari Siculo.

§. 16.

Huic igitur tantæ virtuti frustra cum  
Bar.



Bartolo opposueris vel Græcorum Imperiū,  
 quod non fuit nisi provincia Romani; vel duo  
 illa Scythica fulmina, Attilam & Tamerla-  
 nem, qui & ipsi victores orbis terrarum post  
 Romanos jaçantur. De Attila enim loquitur  
*Sigebertus ad ann. 804.* cum inquit, *Avaros seu*  
*Hunnos, victores Orbis, perdomitos à Carolo M. fuis-*  
*se.* Tamerlanes verò omni Asiâ armis pera-  
 gratâ, & Bajazethe capto, Europam quoque  
 armorum terrore concusit. *Boxhorn. Hist.*  
*uni. ad ann. 1378. pag. 891. & seqq.* Etenim illi  
 prædandi magis more terras percurrebant,  
 quàm bellum Imperii promovendi causâ ges-  
 serunt, & prædonum magis quàm hostium  
 ritu, non tam Imperium occupârunt quàm  
 prædas domum retulerunt; & vastitatibus,  
 incendiis ac cædibus quàm victoriis lætiores,  
 sævire magis quàm imperare voluisse viden-  
 tur. Unde uterque *Dei flagellum* dicti sunt,  
 alter Occidentis, alter Orientis. De utroq;  
 ipsos se maximi DEI iram ac flagellum profes-  
 sos,



fos, tradunt *Munster. Cosmogr. lib. 3. cap. 63.*  
*Boxborn. d. loc. pag. 896.* fuisse sanè certum est.  
 Hos ergo in censum talium Orbis Imperio-  
 rum, nedum summorum, non referimus:  
 quanquam Hunnos, Occidentis inuasores, à  
 Carolo M. perdomitos, jam ex Sigeb. dictū sit.

§. 17.

Hic igitur Imperiorum Principatus Ro-  
 manus indubitato virtute maximorum Ger-  
 maniae Regum, Caroli M. & Ottonis M. Ger-  
 manis perpetuo foedere aggregatus est. Ita ve-  
 rē *Glossa Canonica, ad c. Venerabilem. 34. X. de Elect.*  
*in verb. in Germanos.* ait: *Sic regnū mundi translātū*  
*est ad Teutonicos.* Neq; si partes quaedam Impe-  
 rio Rom. hodie detractae sunt, etiam Principa-  
 tum istum detractum esse sequitur, qui semel  
 optimo maximoq; jure in hoc Imperio inve-  
 teravit, & cum ipso in Germanos transiit; neq;  
 adeò, quousque invicta stat res Germana, a-  
 velli inde potest.

§. 18.

Hinc Rex à Germanis electus, hoc ipso

G

Rex



Rex Romanorum, nullo alio quàm electionis actu interveniente, appellatur, & inde caput Orbis Christiani agnoscitur & audit. Hinc in *Aurea bulla cap. 2. §. 2. & 3.* sæpiùs, & imprimis in ipsa solennis jurisjur. formulâ, quod præstant ante electionem Serenissimi Archi. Principes Electores, dicitur: *Eligere volo temporale caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum &c.* Et §. 3. *Nisi prius major pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, Regem videl. Romanorum &c.* Et mox: *vel per majorem partem ipsorum Rector & temporale caput fidelium electum fuerit.* Hinc & populi Germani signum non aliud est quàm Aquila illa Romana; & ipsi Bullæ aureæ, seu sigillo quo Carolus IV. usus fuit, in averso inscriptus est ille ex genio seculi Rythmus:  
*Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.*

Atq; hinc inter insignia Imperatoris est figura orbis, quem manu ille gestare solet, quemq; in Curiis solennibus Comes Palatinus præfert ex constitutione *A. B. cap. 22. & cap. 26. §. 3.* ubi poemum



\* (51.) \*

num vocatur, ex usu vulgi. Adeò Principatus ille Romani nominis trahit in populum Germanum.

§. 19.

Neque tamen prætereundum est, alio quoque sensu, qui tamen ab altero haut multum abludit, Imperium Romanum pro Imperio orbis accipi, scilicet, quo pars insignis sumitur pro Univerfo: quod & in omni linguarum genere, & in Imperiis frequens est, ac Romanis maximè solenne fuit. Uti cùm Lucanus, lib. 3. vers. 247. canit:

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,*

Et mox, vers. 273. Europam & Asiam duos orbis, diversosq; mundos appellat, Tanai divisos, cùm ita pergit:

*- - - Tanais diversi nomina mundi  
Imposuit ripis, Asiaque est terminus idem  
Europa, media dirimens confinia terra,  
Nunc hunc, nunc illū, quā flectitur, ampliat orbem.*

G 2

Ita



Quin & disertè Polyb. *lib. 4. Hist. cap. 38.* terras  
 Imperii Romani vocat *ὁμιανήνν.* & orbem nostrum.  
 Ita cùm bellum inter duos populos Romanos  
 & Carthaginēses videbatur in Italiam transitu-  
 rum, jaçtabatur, *cum orbe terrarum bellum geren-*  
*dum esse in Italia,* i. e. cum Imperio populi Car-  
 thaginiensis. *Liv. lib. 21. cap. 16.* Ac, cùm Lyfi-  
 machus & Seleucus reliquos Alexandri M. Du-  
 ces profligassent, dicitur, quòd *duo soli tennerint*  
*orbem terrarum.* *Justin. lib. 17. cap. 1. in fin. & cap. 2.*  
 Ita ante primum bellum Punicum, cùm &  
 Poeni & Romani Siciliae inhiarent, dicitur,  
*quòd eodem tempore, paribus uterque votis ac viri-*  
*bis, Imperium orbis agita verit.* *Flor. Hist. Rom.*  
*lib. 2. cap. 2.* Atq; ita & Alexander M. Regem  
 mundi se dici voluit. *Justin. lib. 12. cap. 16.* Et  
 terrae recens inventae dicuntur *novus orbis,*  
*novus mundus.* Quò faciunt ea, quae *toto cap. 2.*  
 pasfim exposita sunt; unde patet, quàm hoc  
 tralatitium fuerit, ut magna pars orbis pro toto  
 acciperetur: idq; omnium convenientissimè  
 dicitur de Imperio Romano, quod sub Tro-  
 ja-



jano Principe inprimis, eousque armis propa-  
 gatam fuit, ut nullum aliud. latiùs: Vid.  
*S. Aur. Vict. de Caesar. in Ulpio Trojano.*

§. 20.

Quodsi hæc ratio jungatur cum supe-  
 riore, rem omnem perspicuè conficiet: adeò  
 invicem patrocinantur & suffragantur. Ete-  
 nim tum illud, quod præcipua univèrsi pars  
 pro toto accipitur, præclarè convenit in Impe-  
 rium Romanum, ut appareat, Imperium or-  
 bis pro Romano rectè dici; *juxta §. 19.* tum ex  
 eo, quòd idem, ut præcipua pars, ita præcipu-  
 um orbis Imperium fuerit, rectissimè sequitur,  
 ei inter Imperia orbis Principatum compete-  
 re; & hunc orbis Principatum genuino quo-  
 que sensu dici dominium mundi, per ea, quæ  
*toto hoc cap. exposita sunt:* hunc denique Prin-  
 cipatum orbis summo jure cum Imperio Ro-  
 mano translatum fuisse in Germanos, eisque  
 individuè adhuc cohærere. *per §. 10. 17. & 18.*  
*sup.*

G 3

§. 21.



Denique nihil ei officere, quòd omnis hodie Asia inde detracta, quin totus Oriens avulsus sit. Certè enim totus Oriens nil nisi provincia Imperii Romani fuit, à populo Romano victa ac triumphata; quæ, etsi iterum detracta, Imperium ipsum non tollit; nec provinciis mutatis mutatur populus cujus Imperium est, si salva sit Imperii sedes. Habebatur enim jam populus Romanus Princeps orbis populus antequam Oriens Imperio subjugata Græciâ accesserat; ut ex locis *cap. 2. & 3.* videre est. Sed nec hodie impar potentia est, si discordia eam non ruperit; nec vana exemptionum figmenta præsidiis suis illam spolient & exhauriant. Discordiam Imperiorum pestem esse graphicè depingit Carolus IV. *in præfat. A.B.* De exemptionum vitiis doctissimè egit Conring. *in tract. de Finib. Imp.* quo de Republ. præclarissimè meritus est. De Græciæ civi-  
ta-



tatibus memorabile est quod Trogus inquit,  
 apud *Justin. lib. 8. cap. 1.* *Dum singula imperare  
 cupiunt, Imperium omnes perdiderunt; & omnibus  
 perire quod singula amitterent, non nisi oppressa sen-  
 serunt.* At nos summum Numen supplices ve-  
 neramur, ut hoc omen à populo Romano  
 Germanico averruncet, ejusque Majestatem  
 votis, studiis ac voluntatibus uniat & muniat!

## §. 22.

Neque verò inane id nomen, aut nudatum  
 effectibus est. Inprimis enim consistit ille  
 Principatus in regendis negotiis Gentium  
 communibus; ut quoties de communi popu-  
 lorum vel plurium gentium salute ageretur,  
 earum rerum quoddam directorium esset Im-  
 peratoris, veluti primi Orbis Principis. Quæ  
 res omnino juris gentiū est, nulla enim causa  
 est, cur præterito illo, cujus primæ partes sunt,  
 sequentes se regimini negotiorum ingere-  
 rent, quod sine injuria loci principis non fie-  
 ret. Et hac ratione in Comitibus directoria  
 nul-



nulla alia sunt, quàm eorum, qui primum in  
 curia vel scamno locum habent. Ita in  
*l. 4. in fin. C. de Quadr. pr. script.* de Principe Romano  
 dicitur: *Qui enim suis consiliis, suis laboribus pro  
 toto orbe terrarum diu noctuque laborat, quare non  
 habeat dignam suâ prerogativâ fortunam?* Hinc in  
*A. B. Aur. Bull. tit. 12. §. 1.* sancitum est, ut Se-  
 renissimi Principes Electores, veluti primaria  
 Imperii fulcra & Archiofficia, frequenter con-  
 gregentur, ad consultandum, non de Imperii  
 tantum, sed & *de Orbis salute.* Quod & Ca-  
 nones intendunt, quando duplicem potesta-  
 tem, quasi duo magna luminaria, mundo præ-  
 esse memorant, quibus portendunt Pontifi-  
 cem & Imperatorem. *inc. 6. X. de major. & obed.*  
 Ita Gelasius Papa ad Imperatorem Anastasium  
 scripsit, *Duo esse quibus principaliter hic mundus re-  
 gitur, idq; ad Pontifices & Imperatores appli-  
 cat, inc. Duo. 10. dist. 96. junct. c. 6. ead.* Item Bo-  
 nifacius ad Honorium Augustum scribit: *DEUM nostrum Ecclesie Sacerdotium, Impe-  
 ratori verò res humanas regere deputasse, in*



c. 1. dist. 97. &c. Quemadmodum & Patres Concilii Constantiensis literis ad Sigismundum Augustum datis, *latari se scribunt, operam ipsius pro salute totius orbis procedere. apud Goldast. tom. un. fol. 148. ad ann. 1416.*

§. 23.

Cùm verò Barbari & Pagani, hostes potiùs nominis Christiani sint, adeoq; comèrciũ hujus Principatus orbis cū iis vix superfit, hinc ad orbem Christianum ille referri, & Imperator caput Orbis Christiani appellari consuevit; ut in *A. B. d. cap. 2. §. 2. & 3.* Quemadmodum prædicti Reges Barbari quoque, & ipse Turcarum Sultanus, Imperatorem inter Reges Christianos, **unter den Potentaten JESU,** Principem fatetur & agnoscit. *Hermes. Fasc. Jur. publ. cap. 4. n. 4.* Hinc ille summus ecclesiæ Christianæ Advocatus audit, **Obriester Voigt und Schirms-Herr der Christenheit** / uti in *Recess. Imp. pass. & in Capitulationibus Imp. in princ.* Atque ita Sigismundus Impe-

H

ra-



rator, in literis ad Concilium Constantiense, scribit de sua sollicitudine quotidiana, qualiter generali bono, statui totius populi Christiani varie multis modis proficere valeat. apud Gold. d. tom. un. fol. 146. ad ann. 1413. §. 2. ubi ita pergit in fin. d. §. 2. *Cum teneamur sanctam matrem Ecclesiam per Imperiale officium tueri, cujus etiam Canones sanctorum Patrum Nos appellant Advocatum & Defensorem.* Unde & prædictis ad Concilium literis Londino ex Anglia misis ita se subscripsit: *Sacro sanctæ matris & universalis Ecclesiæ Advocatus &c.* Gold. d. tom. un. fol. 148. Sed & Serenissimi Principes Electores literis ex Comitibus Reinenfibibus Anno 1338. ad Pontificem datis, quæ & ipsæ extant ap. Gold. d. tom. un. fol. 100. ad Ann. 1338. scribunt, se more antiquo ibi congregatos fuisse, *pro defensione & recuperatione jurium, honorum, &c. sacri Imperii Romani, ac NB. totius Christianitatis, ad cujus Regimen & defensionem idem Imperium principaliter ordinatum dignoscitur &c.* Fuitque usus ejus haut exiguus in Conciliis universalibus, quorum directio penes Imperatorem, ut Ecclesiæ Advocatum fuit, uti ex prædictis quoque literis Sigismundi Augusti, &



& Patrum Concilii Constantiensis apparuit.

§. 24.

Hinc verò haut inſcitè Michaël Praun, *in tract. von den 7. Heerſchilden cap. 3. part. 3. §. 495. §. 503. & ſqq. orbem Chriſtianum vocat univerſalem Gentium Chriſtianarum remp.* Das allgemeine Chriſten Volckerreich: in qua primum ordinem, **den erſten Heerſchild / & directorium** tribuit Imperatori; & pluribus exemplis uſum ejus illuſtrat: ut in Regum &c. titulis concedendis, §. 503. in Conciliis Univerſalibus, & expeditionibus contra infideles, v. g. in Cruciatibus quas vocant. §. 504. Ubi & exhibet literas Ferdin. III. ad Regem Sueciæ ita ſcriptas: *Pro eo ſanè munere, quod Nobis Imperatori, in rep. Chriſtiana, inter Reges & Principes ejusdem ſuprema, ſummum competit.* §. 507. Item *foederatæ Belgicæ Ordinum, qui Imperatorem, ut vigore directorii ſui inter Principes Chriſtianos in eo diſſidio cum Rege Hiſpaniarum ſe interponeret, rogâſſe dicuntur.* §. 508. Nec non principis Polonici, qui Polonos *confugere in tutelam Imperatoris, ut ſupremi capitis totius*  
H 2
Chri-



*Christianitatis, scripserit. ibid. Quin & Francisci I. Galliarum Regis, qui Carolo V. obtulerit, se prore Christiana, exemplo Antecessorum suorum, expeditionem in Turcicos hostes una suscepturum, primumque ordinem concessurum Imperatori. ibid. Quin & refert, Reges ætatis veniam ex usu publico impetrasse aliquando ab Imperatore. § 510 Regem quoq; Aragoniæ Alphonsum, Aulicis suis respondisse: Reges Romano Imperatori reverentiam debere, ut summocapiti. §. 512. Denique Johannis Georgii, Electoris Sax. literas ad Landgravium Hassiæ; Germanos summa id gloriæ loco duxisse, se de suo sanguine, & gente Teutonicanationis, liberè Regem eligere, cui omnes Christiani orbis Populi honorem singularem exhibeant, Principatumque inter Reges tribuant. §. 513. Hæc hæc. Praunius.*

§. 25.

Quodsi verò quidam adversus communem istam Gentium seu Christiani orbis salutem insurgant, committant, aut atrociter machinentur, an in eos exequendi quædam potestas competat, quæri potest? Equidem,  
di-



disertè refert *Justin. Lib. 19. Hist. cap. 1.* cùm summi Imperii autoritas penes Persas esset, *Darium per legatos edictum misisse Carthaginem, quo Pœni, (liber populus) humanas hostias immolare, & caninâ vesci prohibebantur; mortuorumque corpora cremare potius quàm terrâ obruere à Rege jubebantur: præterea etiam auxilia adversus Græciam petiisse.* Et additur: *Carthaginenses auxilia negantes propter assidua finitimorum bella, cæteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruisse.* Quæ apprimè iis quæ jam tractata sunt, respondent: Etenim auxilia nihil ad hunc Principatum pertinuerunt, & precibus tantùm expetita sunt: at reliqua ad communem hominum conditionem ejusque communia jura, dignitatemque spectabant, & adversus naturæ leges committi videbantur, etsi, quæ de mortuis condendis Rex præcepit, ex Persarum usu & superstitionibus, non ex naturæ vel Gentium decretis statuerit. Sed & in fœderibus, quibus inter populos liberos vel Principes societas initur, caput fœderis statui solet, cui, etsi potestatem superiorem non habeat,



quædam tamen foederis executio competit; exemplo foederis Suevici, quo executio in Ducem Württembergicum, Ulricum, facta est. *Vid. Diss. Præf. de Imperio in pares.* Sanè justam belli causam esse, si qui contra humanæ societatis securitatem committere & moliri deprehensi fuerint, pluribus exequitur *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 20. §. 40. & multis seqq.* quæ examinavit D. Præf. in *prælect. publicis*, & nos nunc in medio relinquimus.

§. 26.

Hinc verò Imperatori Romano aliæ quoq; prærogativæ debentur, uti in loco, in compellatione, &c. unde Ipsi ab omnibus Regibus tribuitur Majestas, quæ tamen compellatio ex parte Imperii Romani in solennibus liberis aliis Regibus dari non solet; *Vid. D. Præf. in Jur. Publ. cap. 8. §. 25.* & si quæ sunt alia eximia; de quibus, ne nimiùm excrescat disputatio, nunc agendi locus non est.

CAP. IV.



## CAPUT IV.

SOLVUNTUR DUBIA EX *d. l. 9. ff.**Ad L. Rhod. NATA.*

## SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <p>§. 1. <i>T</i>enor legis.</p> <p>§. 2. <i>D</i>ubium I. <i>Q</i>uod in Italia naufragi ad Cyclades insulas diripi non potuerint.</p> <p>§. 3. <i>E</i>jus prima solutio. §. 4. <i>A</i>ltera.</p> <p>§. 5. <i>D</i>ubium II. <i>Q</i>uod Imp. non</p> | <p><i>se. sed legem, maris dominum dicat.</i></p> <p>§. 6. <i>E</i>jus solutio.</p> <p>§. 7. <i>D</i>ubii III. <i>Q</i>uod Rhodiorum legibus Romani subiecti non fuerit: ejusque solutio.</p> <p>§. 8. <i>Q</i>ue plenius illustratur.</p> <p>§. 9. <i>R</i>efellitur <i>W</i>issenb.</p> |
|--|---|

§. 1.

**S**uperest, ut textum nostrum à scrupulis, quibus implicitus est, evolvamus brevissimè, quos quidem affert *W*issenb. part. 1. *dis*p. 28 §. 10. & seqq. sed non eximit. Textus ita habet: *Deprecatio Eudæmonis Nicomediensis ad Antoninum Imperatorem. Domine Imperator Antonine. Naufragium in Italia facientes, direpti sumus à publicanis, Cyclades insulas habitantibus. Respondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus: Lex autem maris. Lex id Rhodia, que de rebus nauticis præscripta est, judicetur: quatenus ei nulla nostrarum legum adversatur. Hoc idem divus quoque Augustus judicavit.*

§. 2.



Prima difficultas est, quòd in Italia naufragi direpti dicuntur à publicanis Cycladum insularum, quæ in alio planè mari, Ægæo sc. fitæ sunt, & immensum distant à mari Italico. Unde certant ingenia correctionibus textûs; & pro Italia in Græco textu legunt, vel *Telia*, à Telo insula, vel *Icaria*, vel *Parhalia*: quæ omnia meritò rejicit *Wiss. d. l. §. 16.*

Nos lectionem salvam esse posse sentimus. Etsi enim in Italia naufragium fecerint, & à Publicanis, qui Cyclades insulas habitant, direpti fuerint, non tamè dicitur, quod ad insulas istas direptio facta fuerit. Publicani enim, seu conductores vectigalium publicorum, etsi alibi habitent, tamen in locis, vel portibus, ubi commodior aut frequentior est vectigalium exactio, vel familiam habent, vel ipsi quoque præsentès plerumque sunt: & imprimis Romæ



mæ ac in Italia, ubi ut vectigalium fons & scaturigo fuit, ita & maximæ publicanorum manus, & factiones, quarum quàm prompta fuerit ad diripiendum aut lædendum temeritas atque audacia, describitur in *l. 12. princ. Et §§ seqq. ff. de Publican.* adeò ut speciali edicto à Præto-  
re compescenda illa fuerit. *d. l. 12. princ.* Credibile verò est, inter eos qui maritima vectigalia conducta habuerunt, plurimos ex Insulanis fuisse, quippe mari assuetis: & ita hos direptores quoque incolas Cycladarum, in Italiæ portibus quæstium ex conductis vectigalibus per se vel per familiam & factiones suas, (uti vocantur in *d. l. 12. pr.*) fecisse.

§. 4.

Quanquam & illud fieri in vasto illo mari mediterraneo, ubi hæc acta sunt, forsan potuerit, ut coortâ atroci tempestate cœperit naufragium in Italia fractis excusisque navis armamentis, ipsa tamen navis, ventis & fluctibus obsæcuta, longè, & ab oris Italiæ ad Cyclades insulas jactata fuerit, cum experien-

I

tia



tiâ constet, naves vi tempestatis in alium quoque orbem abreptas fuisse, maximè si procella nec in alteram pluresve noctes defæviat.

§. 5.

Altera dubitatio est, quod Antoninus sibi dominium maris abrogâsse videatur, cùm inquit: *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris: cùm exceperit mare à mundi dominio, & legi subjecerit.* Quasi verò mare non sit pars mundi. Alii, ut scrupulum evellant, ajunt, Antoninum se dixisse legem maris, ut dominum mundi. *D. Struv. Exerc. 20. §. 29.* Alii pro νόμος legendum volunt ἀνεμος, quòd ventus sit dominus maris. *Wissenb. d. disp. 28, §. 12.* Alii ab interpunctione remedium quærunt, ut uno spiritu legatur: *lex maris lege Rhodia judicetur.* *Wiss. ib. §. 13.* quæ sanè perridicula esse fatendum est.

§. 6.

At planus jam sensus est. Fuit Antoninus Dominus mundi, seu orbis qui terrâ & mari constat; sed orbis Romani, potestate & Imperio; orbis terrarum, Principatum. *juxtac. 3.*  
Ve-



Verùm hujus dominiū potestate non tollit ille leges bonas & utiliter latas; & nec suo libitu, nec absque causæ cognitione pronunciat, sed secundùm leges, quibus submittere Principatum, è re & Majestate regnantis esse, duo Augusti præclarè contestantur in *l. Digna vox. 4. C. de Legib.* Duo igitur Antoninus, verè Pius, responso hoc complexus est: nam & Eudæmonem ad Judices, ut de causâ judicaretur & cognoscatur; Judices verò ad L. Rhodiam, ut ex ea sententiam ferant, remittit, nec voluit in causâ maritima provocari ad mundi dominiū, cùm de ea extaret lex maris, scil. lex Rhodia.

## §. 7.

Denique mirum videtur, cur Imperator cives & subditos Imperii Romani legi Rhodiæ subicere voluerit, cùm Rhodii nullum jus legis ferendæ in Romanos habuerint; sed illi his è contrario subjecti fuerint. Verùm non valuit illa lex vi & auctoritate propria, sed voluntate populi Romani & Imperatorum; quam ob rem etiam non ultra obtinere eam voluit Imperator, quàm quatenus ei legibus Romanis obrogatum non fuerit.

*d. l. 9. in fin.*



§. 8.

Neque respondit ita Antoninus absque gravi causa. Rhodii floruerant præ omnibus cum artis Nauticæ peritiâ, tum omnibus pacis belliq; artibus ac studiis, maximisque opibus: adeò ut maris quoq; imperium, Pyratibus inde pulsis & ejectis, obtinuerint: quæ pluribus refert & meritò laudat *Strab. Rer. Geogr. lib. 14. c. 8.* Inde cum Græcia omnis victa, jure armorum in potestatem Romanorum pervenisset, hæc etiam insula quidem cum aliis cesit Imperio Romano, sed ita ut suis legibus uti, quemadmodum & aliis Græciæ civitatibus, permisum ipsi fuerit. *Strab. d. l. 14. c. 8. in fin.* Cum igitur Rhodii interim, stante maris Principatu, leges de re Nauticâ cōdidissent, quæ & ab æquitate sua maximè commendabantur, perstitit vi hujus *ἀυτονομίας* ipsi reservatæ autoritas istarum legum etiam sub Romanis: ad quas proinde meritò Antoninus, si leges Romanæ non obstarent, provocavit: atq; adeò vim legis scriptæ quoq; eam apud Romanos habuisse dicendum videtur.

§. 9.

Quod denique idem Augustum quoque judicasse *in d. l. 9.* additur, id *Willemb. d. l. §. 10.* de Augusto sui temporis intelligit, quòd appellatio illa omnib; Imp. sit communis. Verùm in Pandectis illa promiscuè accipi, aut à Jcis Romanis tribui aliis, nisi nomine adjecto, non solet: Nihilq; omnino obstat, quò minus Augusti Octaviani judicium intelligi queat. Et hæc hæc. exercitii loco de hoc textu tam famoso.

S. D. G.



ERRATA :

Pag. 29. lin. 15. pro 77. legend. 177.  
& lin. 17. pro *Oriens ultima* legend. *Oriens ultime*.

Pag. 64. pro *Parhalia*, leg. *Paralia*.

Reliqua Lectoris humanitas emendabit.







ULB Halle  
003 499 685

3



*Sh*


*✓ D 78*











DISSERTATIO JURIS GENT. PUBLICI

De

**DOMINIO SEU IMPERIO ORBIS,**

*Ad l. 9. ff. de Leg. Rhod.*

Quam

*FAVENTE DIVINO NUMINE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. FRID. WILHELMO,**

REGNI BORUSSÆ AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI  
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

**DN. HENRICO à COCCEJO,**

AUGUST. AC POTENTISS. BORUSSÆ REGIS  
CONSILIARIO INTIMO,

FACULT. JURID. ORDINARIO, ET IN HAC ALMA VIADRINA  
ANTECESSORE PRIMARIO,

*Ad Diem IV. Novembr. Anno MDCC XI.*

IN AUDITORIO JURIDICO

Discutiendam proponit

*PER ILLUSTR. DN:*

**FRAN: ANT: G. S. von SCHALLNHEIMB,**

Austriacus Viennensis.

\*\*\*\*\*o\*\*\*\*\*

*Francofurti ad Viadrum, Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*